



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ærumnæ D. N. Jesu Christi**

**Thomé <de Jesus>**

**Monachii, 1676**

Ad Crucem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45834)

vam & moriar, perseverans in amore hujus Domini mei, & à solis ipsis petam & expectem omnia bona, ut ab eisdem in societate Domini mei coroner in cælo.

A D C R V C E M.

*Cruz Redemptoris sanguine decorata.*

VIII. O bella crux, & splendidior ac pretiosior à sanguine Christi, omnibus gemmis! Tu fuisti finis laborum ejus: tu initium gloriæ, tu victoria belli, tu finis ejus exilii, tu ingressus in gloriam & possessionem regni ejus; tu es hereditas mea; tu pars, quæ me contingit, relicta mihi à Domino. Pauper in te mortuus est, nudus, & spoliatus omnibus rebus, in tui solius complexu. Te adoro, te amplector, te recipio pro summo thesauro, ô splendidior stellis, fortior exercitibus, triumphatrix omnium inimicorum tuorum! & ut talis manes Domina campi, potens & invicta, quam nemo valet prosternere. Jam te cælum agnovit, tremet Infernus, timet Mundus, & intelligit Satan, eum, qui in te expiravit, esse verum Filium Dei. Jam te honorant, quos tui pudebat, posteaquam latronem potuisti transferre in cælum. Tu es Corona mea, gloria mea, thesaurus meus; & omnia bona, quæ habeo, à te mihi proveniunt. Jam perdidisti antiquam asperitatem tuam: es jam suave jugum & pignus gloriæ, principium regni cælestis, quies & robur omnium ad te recurrentium. Adoro te, Arbor vitæ: adoro te, Fons sapientiæ: adoro te, Fortitudo contra inimicos: adoro te, Fornax ardens continuo amore Dei, & amantissimi Agni. Recipe me in brachia tua, sanctifica me, sustenta me. Recipiat me per te, qui per te me redemit, & in te amore mei est mortuus. Amen.

O sanctissima Mater Dei, Regina Angelorum, gloriosa stella maris, Dux peccatorum! quæ plena doloris ac sensûs aspicias discedentem à te Dominum, quem genuisti, cum fide ac certa spe videndi redivivum tertia die: fac, Domina, ut sim crucifixus cum eo, & ut me in suum recipiat, ut moriar & vivam, & postea regnem cum eo. O Curia cælestis, quæ tecum hunc divinum Agnellum habes jam immortalem, ac gaudes eo secunda nunquam perdendi, juva hunc pauperem exulem filium Evæ, ut vivat semper crucifixus cum eo, & per eum coronari mereatur! Amen.

IN